Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2081
Quelle:
Copyright:

bentur Clerici orare *signanter pro Illustrissimo Duce N. Austrie*, et *fol.* 125. ubi praescribitur Cantus chori in circumgestatione Reliquiarum, addit Rubrica: *Populus uero sequens habeat suas leyssas.* Ritualia *Passaviensia* hoc *Vol.* relata dixere *suas Alleluias*, vel *Vociferationes;* at vero τὸ *Leissas* a corrupto *kyrie eleison* descendere videtur.

DCCCXLVI.

H. 2 Codex membraneus lat. Sec. XVI. Folior. nunc 78. f. luculente, eleganterque perscriptus, deauratus, et picturatus exhibet Opus *liturgicum* ita praenotatum: *Ut ea que ob varietatem inquirendi in sacris missis celebrantium animum sepe perturbant, facilius in posterum inueniri possint, atentiusque in tam sacro misterio et deuotius vt decet vacetur, Gasparis de Capris Episcopi Asten. industria aliquarum pontificalium missarum cum suis solitis ceremonijs prout sequitur ordo ad sui et successorum maxime commodum inuentus est.* Praeit folium Insignia *Julii* III. (Joh. M. de Monte) P. M. repraesentans cum lemmate: *Mons in quo beneplacitum est Deo habitare*, et ὑπογραφῇ: *Aureus hic mons ætereus est felicis memorie Julio III. Pont. max. argopastori vigilantissimo dicatus cuius gratia Gaspar de Capris Presul Asten. designatus. Accepti memor benefitii monere censuit in hoc pontificalium missarum ordine pro salute et requie sue sanctitatis orandum esse. Nam etsi beatus in vita, quia mortalis, obijt die 23. Martij.* M. D. L. V. Designatus est *Gaspar de Capris* seu *Caprius Taurinensis* ad insulas *Astae*, quae in *Liguria* mediterranea *Sabaudici* juris est, a. 1550. et a. 1568. infelici prolapsu scalis illisus periit. Plura de eo *Ughellius Ital. sacr.* T. IV. p. 399. qui si *Codicem* nostrum vidisset, reperisset *fol.* 4. gentilitium Viri Insigne: nigram capri περοτομην in area aurea cum lemmate: *Omne bonum ex alto*, quo fortasse ad *Julii* III. *Montes* adluditur. Inest porro in eo Series Missarum Pontificalium pro praecipuis anni Festis ducto a B. V. Annuntiatione initio, atque inter eas etiam Missa in die S. *Secundi martiris Astensis*, et S. *Eusebii* nempe *Vercellensis*. Picturae, quae singularum frontem ornant, non in ipsa membrana effictae, sed glutino ei superinductae sunt. Inter 58. et 60. folium excidit.

DCCCXLVII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3300 XIII. Folior. 78. 4. maj. splendide exaratus, miniatus, Literis initiorum partim auro fulgidis, partim jucunde picturatis *Ceremoniale* Abbatis est complexum Evangeliorum principia, Antiphonarium, Hymnarium, Praefationes, Canonem Missae, atque Orationarium pro toto anni decursu. Antiphonario imposita sunt antiqua modulandi cantus signa ante *Guido-*

nem